

quia clericus in sacris ordinibus constitutus fornicando, sicque violando votum continentiae, committit sacrilegium, etiam poena carceris, aut exilio perpetuae deportationis, puniri potest, can. *Attendendum*. caus. 17. q. 4. juncto Tridentino, cit. sess. 23. cap. XIV. *de Reform.* § *Clerici vero*: ubi nonnullae aliae clericorum incontinentium poenae referuntur.

49. *Pro simplici fornicatione punitur clericus arbitrio judicis.* — Resp. II. Pro unica simplici fornicatione punitur clericus, etiam in sacris ordinibus constitutus, arbitrio judicis, juxta qualitatem personae, et circumstantiarum, infligendo hanc vel illam poenam. Ita Glossa can. *Presbyter*. dist. 82. §. *Decem annis*, asserens, quod varietas delicti inducat varietatem poenae; sicque judex possit clerico fornicati mitigare poenam pro quantitate criminis, et qualitate personae, aliarumque circumstantiarum, can. *Tempora*. caus. 26. q. 7; Abbas c. *At si clerici*. n. 36. *de Judiciis*; Farinacius quaest. 137. *de Delictis carnis*. n. 17; Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic. cas.* 418. n. 3. et 5; Bellettus *Disquisit. clerical.* part. II. § 2. *de Poenis clericorum* n. 4; Julius clarus in *Practica criminali.* § *Fornicatio*. n. 3. attestans de communi; Engel, h. t. n. 6. et alii. Conclusio desumitur ex cit. can. *Tempora*. caus. 26. q. 7. et c. *Ut clericorum*. 43. *de Vita et honestat. cleric.* cum similibus: juncta 1. *Absentem*. et 1. *Percipiendum*. ff. *de Poenis*.

50. *Diversitas poenarum, a jure statutarum, dat optionem judicis. Melius est, redargui de misericordia, quam de severitate.* — Accedit ratio, quia, cum jura tam antiqua, quam nova, non unam eandemque, sed variam clerico fornicanti assignent poenam, modo acerbam, modo mitem, ut dictum n. 48. hoc ipso videatur relinquere in arbitrio judicis, ut pensatis circumstantiis, puta, qualitate personae, gravitate scandali, consuetudine patriae, ac hujusmodi, imponat poenam, quandoque depositionis, quandoque suspensionis, quandoque privationis beneficii: quandoque prius moneat, dum nondum plene constat de delicto, gravis tamen subest hujus suspicio: quandoque sine monitione privet, seu puniat, ex quo constat de delicto. Nam, ut inquit Glossa can. *Fraternitatis*, dist. 34. §. *Professura*, et Abbas cit. n. 36. diversitas poenarum a jure statutarum, dat optionem episcopo; ut c. *de Causis*. 4. juncta Glossa ibid. §. *Certa. de Offic. delegat.* Ac proinde, cum in proposito diversae poenae sint statutae, potest judex infligere, quam magis viderit

expedire, arg. cap. ult. § fin. *Ut lite non contestata*, etc. Ita tamen, ut semper in isto delicto judex declinet ad mitiorem partem, quia pauci sine vitio incontinentiae reperiuntur; divus Gregorius papa, relatus can. *Quia sanctitas*. dist. 50. Et quia melius est, redargui de misericordia, quam de severitate. can. *Alligant*. caus. 26. quaest. 7.

51. *Pro simplici fornicatione clericus regulariter deponendus non est.* — Resp. III. Etsi pro simplici fornicatione clericus regulariter deponendus non sit, nec beneficio ecclesiastico privandus: nihilominus concurrentibus certis circumstantiis, et si ita expedire judicaverit, poterit judex etiam poenam depositionis imponere. Ita Glossa can. *Maximianus*. dist. 81. §. *Removeantur*: asserens, communiter teneri, quod pro simplici fornicatione clericus deponi non debeat. Et alia Glossa can. *Lator*. 2. q. 7. §. *In corporali*; Abbas c. *At si clerici*. n. 36. et 37; ac Felinus ibid. n. 13. et 44. *de Judiciis*; Julius Clarus lib. V. § *Fornicatio*. n. 3; Farinacius cit. quaest. 137, n. 17. et 18. et alii. Prior pars patet ex proxime dictis n. praeced.

Altera pars declaratur inductione. Sic imprimis propter fornicationem clerici notoriam, et scandalosam, posse imponi poenam depositionis, arbitrio judicis, tradit Abbas cit. c. *At si clerici*. n. 35. et 36. *de Judiciis*; Farinacius d. quaest. 137. n. 21. allegans complures alias; quamvis nonnulli apud eundem n. 22. allegati contradicant, volentes, pro fornicatione etiam notoria non imponi poenam depositionis sed suspensionis.

52. *Bene tamen concurrentibus certis circumstantiis.* — Deinde, si clericus incontinens committat fornicationem qualificatam, v. g. peccatum stupri, adulterii, sacrilegii, incestus, sodomiae, etc. extra controversiam est, ob jura clarissima, quod talis fornicatio, ob annexam illam qualitatem, possit puniri poena depositionis, seu perpetuae privationis beneficiorum. Atque ita habetur statutum, si fornicatio clerici committatur cum sanctimoniali, can. *Si quis episcopus*. caus. 27. q. 1. Aut cum filia spirituali, ea scilicet, quam vel in sacro Baptismatis fonte recepit, vel ejus confessionem audivit, can. *Si quis Sacerdos*. et can. *Non debet*. caus. 30. q. 1. Aut cum consanguinea, vel conjugata, arg. can. *Lator*. caus. 2. q. 7. juncta Glossa §. *In corporali*. et can. *Si quis clericus*. dist. 81; Abbas cit. c. *At si clerici*. n. 35. *de Judiciis*; Farinacius d. quaest. 137. n. 23. et seqq. al-

legans alios. Tacetur nefandum crimen sodomiae, contra quam extat terribilis constitutio 5. beati Pii V. *Cum primum*. et constitutio 72. ejusdem, *Horrendum* (ac refertur tom. II. *Bullarii Romani*) vi cujus clericus sodomita non tantum omni beneficio, verum omni privilegio clericali privatur, degradatur, traditurque curiae saeculari ulterius puniendus.

53. *Aut si fornicatio sit qualificata.* — Obijcies contra proxime dicta. Concubinitus clericorum est longe gravius crimen, quam simplex fornicatio; atqui propter concubinitum non potest. Clericus illico puniri poena privationis beneficii, aut depositionis; sed debet praecedere monitio, suspensio, ac hujusmodi, juxta c. *Clericos*. 3. et c. *Sicut*. 4. h. t. et concilium Tridentinum sess. 23. cap. XIV. *de Reform.* ergo idem, et quidem a fortiori, videtur dicendum de simplici fornicatione. Resp. primo, instantiam hoc solum procedere de simplici fornicatione, conformiter dictis n. 49. et 50. non vero de fornicatione qualificata. Resp. Secundo neg. min. si constet de concubinitu, seu repetita fornicatione. Nam concilium Tridentinum loc. cit. non revocat poenas jure antiquo statutas; imo istas innovat, addendo tamen ipsas alias: quia igitur jure antiquo, propter fornicationem qualificatam, riteque probatam, poterat clericus puniri poena privationis beneficii, ac depositionis absque alia praevia monitione, per jura proxime allegata; idem dicendum etiam pro nunc de clerico concubinario, quando notorie constat de actuali multiplicata fornicatione ipsius.

54. *Solvitur notabilis instantia. Triplex monitio quando debeat promitti, antequam clericus puniatur de concubinitu.* — Nec obstat cit. c. *Clericos*. et c. *Sicut*. h. t. Quia loquuntur in casu, quo nondum notorie constat de concubinitu clerici, sed solum habetur gravis suspicio illius: tunc enim debet praemitti triplex monitio, antequam judex procedere valeat ad infligendas poenas statutas. Atque in eodem sensu loquitur, praeviamque requirit monitionem concilium Tridentinum cit. sess. 23. cap. XIV. *de Reform.* uti patet ex illis verbis ipsius: « Prohibet sancta synodus quibuscunque clericis ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra definire, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin poenis, a sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum impositis puniatur.

Quod si a superioribus moniti, ab iis non abstinnerint, tertia parte fructuum — ipso facto sint privati, » etc. Ubi ponderandum ly, « de quibus possit haberi suspicio: » item, quod monitio solum requiratur ad incurrendam ipso facto privationem tertiae factis fructuum, etc. non vero facto ad poenas a sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum antiquis impositas. (ADNOTATIO XL.)

## TITULUS III.

## De Clericis conjugatis.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Visum est titulo praecedenti de cohabitatione clericorum et mulierum illicita; videndum nunc restat de cohabitatione ipsorum licitas quae oritur ex legitimo matrimonio. Circa quod, nec non circa privilegia clericis conjugatis competentia, vel non competentia, plures occurrunt difficultates, unde sit

## § I.

## DE CONTRACTU MATRIMONIALI CLERICORUM, ET AMISSIONE BENEFICIORUM INDE SECUTA.

2. *Clerici in minoribus ordinibus valide, ac licite, matrimonium contrahere possunt.* — Quaeritur I. Quinam clerici possint, vel non possint, matrimonium contrahere? Resp. I. Clerici in minoribus duntaxat ordinibus constituti, valide, ac licite matrimonium contrahere possunt. Ita communis; idque patet ex can. *placuit*. et can. *Seriatim*. dist. 32. In quo tamen posteriori loco excipiuntur clerici, habentes votum continentiae: nam hi ratione voti illicite contraherent. Concordat cap. 1. et cap. III. h. t. ubi conclusio ampliatur ad clericos minoristas, beneficium ecclesiasticum habentes, quamvis isto postmodum priventur. juxta inferius dicenda.

3. *Non vero clerici in sacris ordinibus.* — Resp. II. Clerici in sacris ordinibus constituti, nec licite, nec valide matrimonium contrahere possunt. Ita communis catholicorum: atque patet ex can. *Presbyterum*. dist. 28. et cap. 1. h. t. ubi talia matrimonia, veluti invalida, separari jubentur; et clerici sic contrahentes ad agendum de commisso poenitentiam per suspensionis, atque excommu-

nicationis sententiam compelluntur. Quinimo juxta Clem. *Eos qui. de Consanguinit. et affinit.* ipso facto excommunicantur. Concordat concilium Tridentinum, sess. 24. can. 9. sic definiens: « Si quis dixerit, clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto — anathema sit. »

4. *Et cur?* — Accedit ratio, quia Ecclesia clericos in sacris Ordinibus constitutos (sicut et religiosos solemniter professos) inhabilitavit ad contrahendum matrimonium; uti constat ex cap. un. *de Voto*, in 6. junctis juribus hactenus allegatis. Unde, sicut consanguinitas, vel affinitas usque ad quartum gradum: cum similibus, jure ecclesiastico impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum: ita etiam dicendum est de voto, quod solemnizatum fuit per susceptionem sacris ordinis, aut solemnem professionem religionis ab Ecclesia approbatæ, juxta cit. cap. un. *de Voto* in 6.

5. *Cur votum simplex castitatis non dirimat matrimonium postea contractum, bene tamen solemne?* — Nec obstat, quod votum simplex castitatis solummodo impediatur matrimonium contrahendum, non vero dirimat contractum. Resp. enim cum Scoto in 4. dist. 30. in fin. disparitatem esse: quia Ecclesia habentes votum solemne castitatis illegitimavit ad contrahendum matrimonium; non autem habentes votum duntaxat simplex. Et hoc rationabiliter factum fuit: quia habens votum solemne castitatis, posuit se in potestate Ecclesiæ, quantum ad oppositum ejus, ad quod est contractus matrimonii; non vero alter, habens solummodo votum simplex. Et hinc noluit Ecclesia hunc illegitimare ad contrahendum matrimonium, sed eum reliquit judicio divino: bene tamen illum.

6. *Cur Ecclesia voluerit clericos, in sacris ordinibus constitutos, illegitimare ad contrahendum matrimonium?* — Et si petas, quare Ecclesia voluerit clericos in sacris Ordinibus constitutos illegitimare ad contrahendum matrimonium? Resp. Causas hujusmodi esse multiplices, et graves. Prima desumitur ex doctrina sancti Pauli Apostoli I. *Corinth.* VII, 5, ipsis conjugibus suadentis, ut ex consensu ad tempus abstineant ab actu conjugali, ut possint vacare orationi. Unde can. *Si laicus*, dist. 31. notanter dicitur: « Si laicus, et quicumque fidelis orare non possit,

nisi careat officio conjugali; sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: si semper orandum est, ergo semper matrimonio carendum. » Hæc ibi. Secunda habetur can. *Decernimus*, dist. 28, illis verbis expressa: « Cum enim ipsi (clerici in ordinibus sacris constituti) templum, vasa Domini, et sacrarium Spiritus Sancti debeant esse, et dici: indignum est, eos cubilibus et immunditiis deservire. » Tertia et cum præcedentibus in re concordans, continetur in c. *Quod a te* 3. h. t. quia videlicet « Clerici simul voluptatibus et carnalibus desideriis, ac divinis et ecclesiasticis obsequiis, vacare non valent. » Quod ipsum aliis verbis, et quidem clarioribus, declaratur c. *Diversis*, 5. h. t. dicendo, quod « in clericorum conservatione cithara cum psalterio male concordet: cumque vir cogitet, quomodo placere possit uxori, ideo minus, quæ Dei sunt, valeat cogitare, » etc.

7. Accedit quarta ratio. Siquidem uxoratus est divisus in duo, cogitatque, quæ sunt mundi, et quomodo placeat uxori suæ, I *Corinth.* VII, 6. Unde plenam sui non habet potestatem, ut ei, a quo stipendium recepit (puta Ecclesiæ suæ) plenius famuletur, cit. c. *Diversis*, 5. h. t. Ubi et alia, seu quinta hujus ratio subjungitur: quia videlicet « rerum ecclesiasticarum substantia per tales (clericos uxoratos) solet deperire, » propter necessitatem alendi propriam uxorem, atque liberos, can. *De Syracusanæ*, dist. 28. Per quod etiam diminuitur hospitalitas, quam sacri canones in clericis, præsertim beneficiariis, requirunt veluti debitam, juxta dicta tit. I. *De Vita et honestat. cleric.* § 2. n. 61. et 62. Simulque redditus ecclesiastici, qui ex primæva ecclesiæ, ac fundatorum intentione, ad pios, pauperumque usus sunt destinati, in uxorem et liberos, aliosque profanos usus expenderentur. Quin etiam subintraret periculum hæreditariæ successionis in beneficiis, quam Ecclesia. Dei semper detestatur, can. *Apostolica*, c. 8. q. 1. et c. *Ex transmissa*, 7. *de Filiis presbyt.* cum similibus. Atque vilesceret dignitas sacerdotum: nec majori in reverentia haberentur isti a populo, si ipsos sibi similes, neque speciali vitæ puritate, atque perfectione nitentes conspicerent, contra can. *Beatus Petrus*, § *Infames*, c. 6. q. 1. et can. *Qualis enim*, c. 8. q. 1. cum concordantiis.

8. *Clericis græcis in sacris ordinibus constitutis non licet matrimonium contrahere, sed so-*

*lum antea contracto uti.* — Dices. Clerici ecclesiæ orientalis, sive Græci sacerdotes, de facto vivunt uxorati, non obstantibus præmissis causis; ergo allata conclusio non videtur subsistere. Resp. neg. consequent. Quia neque Græcis in sacro ordine constitutis unquam licuit, aut de facto licet uxorem ducere, can. *Si quis eorum*, dist. 32. juncta Glossa un. ibid. sed solum eisdem permissum est, uxore, quam virginem in Ordinibus minoribus constituti duxerunt, postea in majoribus adhuc uti, can. *Nicæna*, dist. 31. et c. *Cum olim*, 6. h. t. Ubi Pontifex, hujus rationem reddens, sic loquitur: « Nos igitur attendentes, quod orientalis ecclesia votum continentiæ non admisit: quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, et in superioribus utuntur matrimonio jam contracto, » etc. Quomodo autem sacerdotes Græci præcaveant memoratis inconvenientiis, non est hujus loci investigare: saltem non sunt in tanta æstimatione, atque reverentia coram populo, quantam habere solent sacerdotes Latini, atque in perpetua continentia viventes. (ADNOTATIO XLI.)

9. *Clerici in ordinibus minoribus contrahendo matrimonium, ipso facto perdunt beneficium præhabitu.* — Quæritur II. Utrum clerici contrahendo matrimonium perdant beneficia prius habita; et quomodo? Resp. I. Si clericus in Ordinibus minoribus constitutus contrahat matrimonium, ipso facto perdit beneficium præhabitu, etiam ante aliam judicis sententiam: adeo, ut statim a momento contractus valide initi, possit beneficium alteri conferri. Ita Glossa cap. 1. §. *Relinquenda*, et Abbas ibid. n. 5. et Barbosa n. 2. h. t.; Covarruvias *de Matrimon.* part. II. cap. VI. § 3. n. 5; Navarrus cap. XXV. *Manual.* n. 129; Angelus in *Summa*, §. *Clericus*, 5. n. 1; Gonzalez ad reg. 8. *Cancellar.* gloss. 15. n. 43. et 44; Garcias part. II. *de Beneficiis*, cap. VIII. n. 1. allegans Rotam, decis. 1. h. t. *in novis*. Sanchez lib. VII. *de matrim.* disp. 42. n. 4. citans plurimos alios, atque asserens, istud esse certissimum, conclusio hæc desumitur ex cap. 1. h. t. ubi clerici in minoribus contrahentes matrimonium, dist. 31. ratione ecclesiastica compelluntur « ad relinquenda beneficia ecclesiastica. » Quasi dicitur: quia beneficia ipso jure jam vacant, merito coguntur clerici ad eadem relinquenda. Accedit ratio, quia beneficium, et matrimonium, de jure sunt duo incompatibilia, cap. III. et c. VII. h. t. cum concordantiis, et consequen-

ter, qui matrimonium eligit, contrahit, beneficio tacite, atque ipso facto renuntiare censetur.

10. *Plus est factis demonstrare, quam verbis dicere.* — Nec obstat, quod resignatio beneficii ecclesiastici non valeat, nisi interveniente auctoritate ordinarii, talem resignationem acceptantis, can. *Si qui vero*, et can. *Si quis presbyter*, c. VII. q. 1. et c. *Admonet*, 4. *de Renuntiat.* cum similibus. Resp. enim, hujusmodi canones procedere de renuntiatione expressa, quæ sit per verba, vel scripturam: secus dicendum de renuntiatione tacita, quæ sit per facta illa, quibus positus juris de constitutione beneficium amittitur, seu retineri nequit. Nam, ut c. *Dilecti*, 52. *de Appellation.* dicitur: « Plus est facto provocare (resignare) quam verbo. » Sive, ut Glossa un. ibid. loquitur, « Plus est factis demonstrare, quam verbis dicere. » Et hinc in simili, clericus per annum exercens artem ignominiosam histrionum, ipso jure perdit privilegium clericale, cap. un. *de Vita et honestat. clericor.* in 6. quamvis huic verbis renuntiare non possit, c. *Si diligenti*, 12. *de Foro competent.* Unde Glossa cap. ult. §. *Cum facto*, *de Vita et honestat. cleric.* recte notat, quod, quamvis clericus non possit verbo renuntiare privilegio clericali, possit tamen eidem renuntiare facto, quatenus se reddit ipso indignum.

11. *Quomodo hujusmodi clerici dicantur privandi suis beneficiis?* — Dices. In c. *Quod ad te*, 3. et c. *Diversis*, 5. h. t. dicitur, clericos matrimonium contrahentes, esse privandos ecclesiasticis beneficiis; ergo non sunt ipso jure privati, sed opus est sententia judicis. Resp. neg. consequent. Nam hujusmodi jura loquuntur de privatione possessionis, ac fructuum beneficii, facienda per actualem expulsionem, casu quo clericus conjugatus violenter eos retinere vellet: non vero de privatione juris, ac tituli, quem clericus antea habuerat, sed per contractum matrimonialem ipso facto jam amiserat. Et istud est, quod voluit Glossa cap. 1. §. *Relinquenda*, h. t. dicens, quod hujusmodi privatio, sive compulsio clericorum conjugatorum ad relinquenda beneficia præhabita, retorqueatur quoad factum solum, sive possessionem: quia vacare intelliguntur ipso jure.

12. *Solvitur alia instantia.* — Urgebis. Pœnæ externam executionem requirentes, non obligant in conscientia ante sententiam judicis, arg. c. *Cum secundum*, 19. *de Hæretic.*

in 6. ubi bona hæreticorum ipso jure confiscata, non possunt apprehendi ante sententiam declaratoriam judicis super crimine commisso; ergo idem dicendum de beneficio clerici uxorati. Resp. neg. consequent. Quia istud, quod beneficium clerici matrimonium contrahentis statim vacet ipso jure, non est statutum in poenam delicti, ut super eo commisso requiratur sententia declaratoria judicis (nam clericus minorista contrahens matrimonium non peccat, sicque nulla poena dignus est) sed id provenit ex incompatibilitate status conjugalis cum beneficio; ut proinde clericum eundem spontanee eligens, censetur tacite, ipsoque facto beneficium resignare, atque dimittere. Sanchez cit. lib. VII. disp. 42. n. 4; Engel, h. t. n. 2. et alii. (ADNOTATIO XLII.)

13. *Vacatio ista beneficii ipso jure inducta, procedit etiam in matrimonio rato necdum consummato; non vero in sponsalibus de futuro.* — Resp. II. Præmissa conclusio, seu vacatio beneficii ipso jure inducta, procedit etiam in matrimonio rato necdum consummato: non autem in sponsalibus de futuro. Ita Abbas cit. cap. i. n. 5. h. t.; Navarrus, cap. xxv. *Manual.* n. 120; Angelus in *Summa. 7. Clericus.* 5. n. 1; Gonzalez cit. gloss. 15, n. 43; Garcias, ubi supra, cap. viii. n. 1; Sanchez cit. disp. 42, n. 5; Pirhing, h. t. n. 13. et alii. Ratio prioris partis est, quæ supra: quia videlicet vere jam assumptus est status incompatibilis cum Beneficio, ac proinde huic tacite, atque ipso facto renuntiatum; quod proinde ipso jure vacare dignoscitur. Ex quo

14. *Clericus beneficiarius post contractum matrimonium non recuperat beneficium, licet uxor ipsius necdum cognita moriatur, aut religionem ingrediatur.* — Infertur primo, quod si clericus minorista beneficiarius contraxerit matrimonium de præsentis, et uxor ipsius nondum cognita moriatur, aut religionem ingrediatur, non idcirco clericus ille beneficium recuperet. Abbas, cap. i. n. 5. et Barbosa, ibid. n. 4. et 5. h. t.; Covarruvias cit. II. *de Matrim.* cap. vi. § 3. n. 5; Garcias d. part. II. cap. viii. n. 2; Sanchez cit. n. 5; Navarrus, et Angelus, ubi supra; Pirhing h. t. n. 13. et alii passim. Revera enim per assumptionem status matrimonialis, utpote incompatibilis cum beneficio, huic ipso facto renuntiatum totum, sicque vacavit beneficium: unde absque nova canonica institutione non potest recuperari, cap. ii. et cap. iii. *de Re-*

*nuntiat.* juncta reg. 1. juris in 6. Siquidem jus semel extinctum non reviviscit, licet cesset causa extinctionis, can. *Quam periculosum.* c. 7. q. 1. junctis concordantiis ibidem per Glossam allegatis.

15. *Neque is potest retinere priora beneficia.* — Infertur ulterius, quod ejusmodi clericus post contractum matrimonium nullatenus possit retinere priora beneficia, sed statim teneatur ea dimittere, eo quod, ipso jure vacent; alioquin quippe peccaret mortaliter, ac teneretur restituere omnes fructus, utpote ex re non sua perceptos. Barbosa cit. cap. i. n. 2. h. t.; Navarrus, et Angelus, ubi supra; Sanchez, d. dispnt. 42. n. 10. et seqq. citans alios, ac plura similia corollaria subinferens.

16. *Cur per sponsalia de futuro non vacet beneficium præhabutum?* — Altera vero pars datæ conclusionis, loquens de sponsalibus de futuro, est Abbas cit. cap. i. n. 5. et Barbosa ibid. n. 11. h. t. allegantis Rotam, decis. 772. n. 2. part. II. Recent. Garcie d. cap. viii. citans plures alios: atque asserentis, certum esse, quod per sponsalia de futuro non vacet beneficium clerici. Accedit ratio, tum quia sponsalia de futuro multis modis possunt dissolvi, sicque statum plene incompatibilem non inducunt; prout argumentatur Abbas consil. 62. n. 18. part. II. Tum quia per ademptionem posterioris beneficii incompatibilis, prius neququam vacat, donec quis plenam posterioris possessionem adquisierit, recipiendo fructus ipsius, c. *Si tibi concessio.* 26. *de Præbend.* in 6. Idem ergo dicendum de sponsalibus de futuro, utpote plenum jus non tribuentibus.

17. *An clerici invalide contrahentes matrimonium, ipso facto perdant beneficium præhabutum? Affirmatur, quando impedimentum fuit occultum, atque a clerico contrahente ignoratum.* — Resp. III. An clerici invalide contrahentes matrimonium, ipso facto perdant beneficium præhabutum, variant doctores; prout videre est apud Sanchez cit. lib. VII. *de Matrim.* disp. 43. n. 1. et seqq. et Garciam d. part. II. *de Beneficiis,* cap. viii. n. 4. et 5. ac seqq. diversas doctorum sententias referentem. Breviter tamen dicendum, quod si clerici in minoribus ordinibus constituti, vero nubendi animo invalide contrahant matrimonium ob occultum aliquod impedimentum, quod ignorant, ipso jure perdant præhabutum beneficium, istudque vacet: nam ejusmodi clericus veram, atque efficacem habuit

intentionem nubendi, sicque eligendi statum beneficio incompatible; et consequenter huic tacite, atque ipso facto renuntiandi. Et hanc sententiam esse communem vere omnium, asserit Sanchez cit. disp. 43. n. 3. plurimos pro eadem auctores allegans, quamvis ipso postea illam opinionem sequatur, requirendo ad hoc sententiam judicis.

18. *In matrimoniis contra «Is non juris effectus, sed animi destinatio attenditur.* — Nec obstat, quod ejusmodi matrimonium sit nullum ob occultum, et ignoratum antea impedimentum; sicque videatur subintrare reges. 52. juris in 6. «Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.» Resp. enim, per dictum occultum impedimentum vitari quidem matrimonium, atque reddi invalidum; non vero destrui veram præhabitam intentionem nubendi, sicque beneficium tacite, ipsoque facto resignandi. Nec urget allegata regula: nam, præter alias ejus fallentias, specialiter ipsa limitatur in matrimonio: cum in matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attendatur, prout habetur c. n. 4. *de Bigamis non ordinand.* Ubi idcirco decisum legitur, quod is, qui mortua uxore promotus ad Ordines sacros fuit, et postea cum secunda de facto contraxit, hancque cognovit, bigamiæ poenam incurrat, haud obstante invaliditate posterioris matrimonii: prout etiam secundum leges infamiam contrahit, qui duas simul habet uxores, cit. *Nuper,* et l. *Eum qui.* c. Ad leg. Jul. *de Adulter.*

19. *Et quid, si clericus beneficiarius scienter matrimonium invalide contraxit.* — Quod si vero talis clericus beneficiarius cognoscat impedimentum dirimens, et sic scienter matrimonium invalide, seu de facto duntaxat contrahat; ut puta, quia est constitutus in sacris ordinibus, aut contrahit cum consanguinea, vel impubere, etc. tunc plures doctores volunt, ejusmodi clericum non ipso jure perdidisse præhabutum beneficium, sed ad hoc esse necessariam sententiam judicis, qui in poenam delicti ipsum privet beneficio. Rationem dant, quia scienter contrahens matrimonium invalide, non assumit statum incompatible cum beneficio; novit enim, se nulliter agere: sola autem voluntas dimittendi beneficium non sufficit ad hujus vacaturam, nisi fiat resignatio ipsius in manus Superioris, c. *Admonet.* 4. *de Renuntiat.* cum similibus. Atque ita videtur tenere Glossa fin. cap. i. h. t. pro se allegans can. *Presbyte-*

*rum.* dist. 28. Idipsum expresse tenet Barbosa cap. i. n. 7. h. t.; Mascardus *de Probationib.* concl. 183. n. 5. et 6. asserens, hanc conclusionem esse communiorem; Sanchez cit. lib. VII. disp. 43. n. 3. et 4. citans plures alios, hancque appellans probabiliorum.

20. Oppositum tamen, videlicet in tali etiam casu perdi Beneficium ipso jure, tenet Abbas cap. i. n. 7. h. t.; Covarruvias part. II. *Matrimon.* cap. vi. § 3. n. 5; Navarrus, cap. xxv. *Manual.* n. 120; Flamin. Parisius lib. I. *de Resignat. beneficior.* quæst. 1. n. 12; Sylvester 7. *Clericus.* 2. n. 2; Angelus in *Summa. 7. Clericus.* 5. n. 1; Gonzalez ad reg. 8. *Cancellar.* Gloss. 15. n. 44. citans Rotam decis. 1. et 2. *de Sponsalib. in antiq.*; Garcias part. II. *de Beneficiis,* cap. viii. n. 4. allegans plurimos alios. Ratio est, quia contrahens matrimonium, etiam scienter cum impedimento dirimente, quantum in ipso fuit, assumpsit statum cum beneficio incompatible, sicque tacite, atque ipso facto, huic renuntiavit.

21. Nec obstat, quod scienter contraxerit invalide; sicque nihil egisse, imo nec intentionem contrahendi habuisse videatur. Resp. enim, in matrimoniis contrahendis non juris effectum, sed animi destinationem attendi, ut proxime dictum est n. 18. ac proinde in proposito induci vacaturam Beneficii ipso jure, non quidem propter effectum, seu valorem matrimonii; sed propter effectum intentionis cum opere subsequuto: prout in simili loquitur pontifex c. *Nuper.* 4. *de Bigamis non ordinand.* Quod autem in scienter contrahente matrimonium cum impedimento dirimente, hoc ipso deficiat intentio contrahendi, falsum est; uti loquitur Covarruvias cit. n. 5. et patet ex Clem. un. *de Consanguinit. et affinit.* cum similibus.

## § II.

## DE PRIVILEGIIS CLERICORUM CONJUGATORUM.

22. *Clerici conjugati in minoribus existentes; gaudent privilegio canonis, et fori.* — Quaritur I. Utrum clerici conjugati, in ordinibus minoribus constituti, gaudeant privilegiis clericalibus? Resp. I. Hujusmodi clerici conjugati, si observent tres conditiones n. seq. declarandas, gaudent privilegio canonis, *Si quis suadente,* 17 q. 4. simulque privilegio fori in causis criminalibus: adeo ut «hujusmodi clerici conjugati pro commissis ab eis excessibus,